15

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM DE

CANCRO,
BUBONEQUE MERCURIALI,
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS CROFTS,
Hibernus.

Scribere jussit amor. Ovid.

Die 1mo Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT ROBERTUS ALLAN.

MDCCCXVI.

GULIELMO NEWBIGGING,

ARMIGERO,

COLLEGII REGII CHIRURGORUM EDINENSIS

PRÆSIDI,

TENTAMEN MEDICUM HOCCE,

GRATI ANIMI,

PARVUM TESTIMONIUM,

OB AMICITIAM NUNQUAM OBLIVISCENDAM,

D. D. C.QUE

AUCTOR.

5

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CANCRO, BUBONEQUE MERCURIALI, &c.

QUÆDAM COMPLECTENS.



In paginis subsequentibus, de causis et effectibus actionis specificæ, (ut appellant) morbosæ, ex hydrargyri usu singulari in modo progenitis, inquirere consilium est. Horum varia mihi contigit contemplari exempla; præter cancrum et bubonem ex hydrargyro excitatum, vagare non placuit: medicinam enim facienti discrimen eas inter et affectionis ejusdem nominis vere conta-

giosas multo difficilius videtur—quam has inter aliasque quaslibet ab hydrargyro excitatas. Affectiones ideo cutis hydrargyro illatas, omnino declinam, cum fines satis arcti quos opusculo nostro, ut oportuit, destinavimus ne tam fusè quam animus ferret de illis tractarem, ex toto vetent; præsertim cum ab aliis et dissertissimis auctoribus jampridem clarè illustratæ sint. Quod actionem nonnunquam morbosam hydrargyrus cieverit, nemo in dubium vocat. Multa cum exempla memoriæ tradantur, ubi irritationes hydrargyri propriæ hominibus lue venerea prorsus intactis illatæ fuerunt. Hic autem effectus hydrargyri morbosos, ab eodem medicamento in luem eradicandam exhibito orientes, proponere tantummodo constitui. Inter hujus remedii exhibitionem adversus morbum supra dictum, irritatio morbosa, suique generis, aliquando in corpore gignitur, malum quidem venereum sistens, neque tamen radicitus subvertens,

bubones, cancros, ulcusculaque si qua per particulas quasdam excitaverit virus, in ulcera sui et novi generis convertens: novos denique morbos, quales sunt, cynanche ulcerosa; ossium, periostei, articulorum, ligamentorum, tendinum, cartilaginum mala; quibusdam vero mortem inopinatam afferens. Quacunque autem conditione hydrargyrus adhibitus sit, et corpus totum stimulare et contra morbos sive particulæ alicujus sive compaginis universæ, proprio sibi modo se exerere invenietur. Auctores quidam lue de vencrea agentes, multum de natura morbi ab hydrargyri actione morbosa excitati se invicem discrepant: quid revera sit disputant, sed indicia et discrimina satis accurata qualia semper et in omni exemplo a syphili distinguere idonea fuissent, non tradiderunt. Hos inter auctores de syphili legendos, nil mirum esse debet effectus perniciosissimos describi hydrargyro quasi oriundos; cum tunc temporis per doses adeo largas exhibe-

retur, cumque scientia ejus virium modique quo corpus afficeret, tam tenuis existeret. Mirum potius videatur, morbum tam importunum, tamque arctè cum lue venerea connexum, non attentionem sibi medicorum priùs attraxisse, descriptionemque accuratiorem meruisse. Quomodocunque hujus rei rationem reddere, plurimis rebus, ne claresceret morbus obstaturis, perpensis, poterimus; satis constat, morbum esse plerumque sub luis venereæ curatione sese ostendentem, hujusque similem admodum in signis; partes jam læsas adorientem; ab irritatione denique, ex hydrargyro luis virus supprimentem, non eradicantem. Corpore enim ab hac peste priùs non liberato, quam malum illud adventitium accesserit, virus venereum iterum cursum repetet, simul atque hydrargyri actio morbosa amovebitur.

CAUSÆ.

Quibusdam corporibus quasi proprietas est, actionem hydrargyri contra syphilim peculiarem, impedire et adversari; atque hæc inter causas morbi propositi præcipua consideranda est. Talibus corporum generibus hydrargyrum adhibitum, cum aut modus sit parvus, præparatiove lenis sit, aliquando nec rarò turbas teterrimas excitaverit, febrem nimirùm haud mediocrem diversaque mala et discrimina. Hæc autem corporis indoles, commodè tollenda est, hydrargyrum per dies aliquot abstinendo, parcissimisque modulis postea exhibendo, magna cura interim habita ut intra conclave calidum homo se contineat.

Constitutiones corporis scorbuto, scrofula, cancro afflictæ, debiles et extenuati, hydrargyri actionem morbosam adjuvant et promovent; præsertim si actioni illius in secretiones (glandulas salivæ exempli gratia) cessuræ non sint: actio quidem morbosa sæpius nexum cum secretionibus obstructis habere videtur, quia morbus mercurialis secretionibus oris, cutis, renum ut decet auctis, non producitur. Partes insigni mobilitate præditæ hunc morbum facillimè suscipiunt, præsertim si ulcerationem veneream paulo ante subierint tempestas humida, et hydrargyri preparationes salinæ sive loco cuidam admotæ, sive intus assumptæ, pleræque irritationis hydrargyri causæ excitantes fiunt: magis tamen si ulceribus venereis impositæ, ubi inflammationem partis intendunt, ideoque totius corporis affectionem pariunt. Hodiernorum medicorum plerique ut videtur, præparationum salinarum in malis primariis curandis usum omnino im-

probârunt; neque hoc magis morbi mercurialis quem excitant causâ, quam quod contagium venereum ipsum aliquando non submovent, et quod diu adhibitæ ventriculum debilitate afficiunt, quæ plures annos, immo totam ægri ætatem durare valeat. Tempus vero quod hoc malum perseverat, quadam in ratione virium præparationis exhibitæ existere videtur. Præparatio quidem commodissima conditionem salinam prope accedens, oxidum est hydrargyri cinereum, in unguentum (adipe conjuncto) formatum, extrinsecusque superimpositum. Hæc præparatio a Professore HOME, jure optimo celeberrimo, qui optimos hydrargyri effectus ab hacce compositione se adeptum esse narrat, præclare laudatur.



INDICIA.

Variis hujus affectus causis recensitis, proximum est, ut indiciorum quo ordine occurrunt diversorum mentionem faceremus. Ante tamen non alienum esset, cancri venerei signa prædicare, quatenus saltem morbo nostro connexa sint. Hunc eo magis selegi locum ad ea dicenda, quod hìc ritê intellecta, lectori discrimen idoneum inter cancrum venereum et cancrum merculialem præbebunt, quod sæpe satis difficulter expiscamur. Palam erit, naturalia hominum, crebrius mala venerea subire oportere, quam partes quaslibet corporis alias, tum quia mobilitatem insignem in se possideant, cum

quod inter coitum periculo maxime subjiciantur, quum glans colis cuticulaque laminam præputii internam contegens, in masculis; nymphæ vero, labiaque pudendi in fœminis, per virus hocce præcipue contaminantur.

Cancer venereus primum leviculo partis infectæ pruritu prænunciatur, post quem vesicula parva sese ostendit aquulam serosam continens, et hæc ferè post biduum plus minus, fit lenta, lutea: vesicula tunc rumpitur, ulcusculum minutum cum basi densa circumscripta oris autem crassis, eminentibus, colore aheneo relinquens. Progrediente morbo, quædam inflammatio accedit, cujus vehementia prorsus ab mobilitate partis affectæ, et a proclivitate quam ad inflammationem solito majorem totum corpus habeat. Hunc cursum perpetuo sequuntur cancri venerei si non casu quodam vel proprietate corporis interrupti. Quum hydrargyrum pri-

mum in hunc affectum exhibetur, cancri ferè, simulatque corpus metallum probe senserit, lenibus medicamentis interea curati, sanescere incipiunt.

Mutatio quam primum subeunt cancri qui actionem hydrargyri morbosam passuri sunt, est, actionem sanantem exuere, inertes postea aliquam diu quasi consistere: si hydrargyrum jam continuetur, ulcera serpere, carnem penitiùs erodere. A cancro autem stricte venereo distinguuntur, margine quam habent flaccida inæquali, parùm discreta atque proclivitate serpendi simul atque tantum hydrargyri assumptum fuerit quantum sat fuisset mala syphilis primaria debellasse, ni actio hydrargyri injuriosa inducta esset. Præterea, dum hic sanescentia ulcuscula apparent, illic denuo prorumpunt et dilatantur, quod in cancris certè venereis, nunquam accidere deprehensum est.

Curatio ulceribus in hoc statu accommodatissima hujusmodi sit: ab hydrargyri usu abstinere, cum illud medicamentum sive spatiis ulceratis illitum, sive intus assumptum, semper inflammationes et ulcerationes auget.

Ulcera ipsa solutione, subacetatis plumbi, aquavè simplice perlui, bisque in die unguento cetacei vel zinci nutriri debent. Haud raró tamen accidit, ulcus iners per aliquod spatium manere, postquam æquum esset credidisse irritationem metallicam quievisse.

Hoc in exemplo sulphatis cupri solutio, cum unguento subacetatis cupri multum proficere invenietur, modò virus venereum submotum fuerit, quod scire licet ferè a quantitate metalli devorati, effectibusque in secretiones manifestis.



BUBO MERCURIALIS.

VOCABULO *Bubo* tumorem glandularum lymphaticarum chirurgi intelligunt, harum præcipuè quæ axillam et inguen occupant. Affectio a variis causis ortum trahat, sive a materia acri qualis est labes venerea, sive irritatione morbi cujusdam partis sive ex causis totum hominem afficientibus, quales sunt scrofula, et carcinomata nonnulla glandium axillæ et inguinis.

Bubo mercurialis vel metallicus cum lento glandium inguinis incremento incipit, protinus cum levi tantum inflammatione non facile ullis extrinsecus impositis remediis ad sanationem perductâ, neque tamen suppu-

rari proclivi, stipatur. Cum suppuratio tamen accesserit, quod fertur imprimis exiguum est, de parte tumoris inferiore plerumque destillans: at sæpe molem aut firmitatem partium nihil extenuans; dolore interea et inflammatione perstante. Parti alicui, vel universo corpori si hydrargyrum nunc ingeratur foramen tumoris exulceratur, cutis nigrescit ut et substantia glandularum, in phagedænam ruberrimi coloris desitura. Quod fertur jam largius ferè tenue, ichorosum partes vicinas exulcerat.

Quum bubo, dum hydrargyrum exhibemus, ortus fuerit, sive a materia inquinante venerea, sive curatione parum idoneâ, ne suppuretur, summa ope niti commodissimum est, cum nullum sit ulcus, ad actionem morbosam mercurialem, quam bubo ulceratus, suscipiendam, proclivius. Cum suppuratio non accessit hydrargyrum subduci oportet, (modo ulcus inflammatum admodum sit ali-

quam ejus marginis portio pura sit et rubra, sine verò oris albescentibus) donec sanatio inceperit.

Postquam bubone aut sponte erumpit pus, aut ferro emissum est, superimponendum est cataplasma emolliens: decocto papaveris albi fovendum; lenioraque unguenta veluti unguentum resinosum et sensui ægrotantis, et sanationi ulceris acceptissime convenire reperientur. Hydrargyri applicatio, aliavè medicamenta irritantia, maxime inepta sunt. Sub hac curatione si bubo mercurialem actionem sibi assumpserit, quod ferè fit, ulceribus sanescere desinentibus serpere vero pejusque se habere incipientibus, calore interim puro, florido obtinente. Si sanatio tantummodo substitit, hydrargyrum suspendere debebimus per aliquod spatium, ut actionem ejus in labem veneream redire sinamus. Aliquando accidit, ut hæc tam nulla ad sanitatem proclivitas, a quantitate hydrargyri sump-

ta parciùs quum quod virus contagiosum radicitus exterminare potuisset, pendeat. Istiusmodi exemplis utique hydrargyri usus continùo resumendus est. In ulcerationem mercurialem ex venereâ transitio, mobilitate corporis universâ provomeri videtur, necnon curatione partis cujusvis malè auspicata. Talibus in exemplis, vera bubonis mercurialis patefacti conditio et natura haud facile attingatur: partium bubonem constituentium diversitas et varietas, earundem ad novam conditionem induendam post actionem hydrargyri morbosam proclivitas, cum aliis simul et diversis causis, sæpissime ne notam vel descriptionem accuratam haberemus aliquam, cujus contemplatione ab strumis partes easdem vexantibus momento dignosceretur, impediunt. Nihilominus in diagnosi per morbi historiam, aspectumque generalem ipsius ægri cum a scrofula oriatur, nonnihil adjuvari potuerimus: præsertim cum ulcera strumosa parum doleant, atque patefacta ma-

teriam lactis coagulo non absimilem excernunt. Bubo venereus omnino diversus dolore gravi et acuto notatur qui subitò temporibus incertis supervenit febre simul symptomatica comitante; hujusque vehementia pro ratione corporis ægrontatis major aut minor est. Bubones venerei quam strumosi citius in suppurationes festinant; incisisque, pus crassum, puris aliorum ex inflammatione abscessuum, simile effunditur. Adde quod margines ulceris scrofulosi cicatricem induere, dum medium doleat, crusta quidem albida tegatur, incipiant. Neque hìc autem dictum voluerim, hydrargyri usum intra ulcera sola per virus syphiliticum excitata cohiberi debere; quippe quia ulcera sordida, sue actione veneni morbosi, seu longa consuetudine inducta, (veluti quædam tibiæ nonnunquam hærentia) a viribus hydrargyri stimulantibus sublata fuerint. Hoc nimirùm metallum actionem in ulceribus novam et diversam ab ista quam stimulus assuetus parti

inferre diù solitus sit, conciliat. Exhibitio tamen suspendenda est, simul atque metallum actionem peculiarem exerere videatur: quod scire licet ulcerum aspectu: nam cum hydrargyri stimulus non amplius novus sit, commoda quotquot prius ab eo nata fuerint, amittuntur.

DE AFFECTIONIBUS OSSIUM LIGAMENTORUM, CARTILAGINUM EX HYDRARGYRO.

Cum finem observationibus quas proferendas haberi de cancro et bubone mercuriali posuerim, haud alienum erit formas hujus mali magis assuetas qualibus alias corporis partes afficit, levitur perstringere: nimirum qualibus ossa, ligamenta, tendines, car-

tilagines, juncturæ plecti solent. Partes syphili opportuniores, et actione hydrargyri morbosæ magis patent: signaque morbida in his luem veneream in tantum appropinquant, ut haud rarò distinguere difficillimum sit duos inter morbos; sic ut medicus judicium ferre satis commodum et idoneum possit. Hydrargyri priùs dati effectus, variæ laborantis conditiones, metalli exhibiti copia, singulæque preparationes ejusdem contemplandæ sunt. Unum tamen est indicium, quod plerumque curantem, ad diagnosin accuratam inter affectum syphiliticum et mercurialem ejusdem partis præsumendam, aliquantum juverit; proclivitas nimirum hujus, de loco in locum vagandi, proque tempore evanescendi, ipsum denotans, nam ex hac, non uno in exemplo, indicia neque hydrargyro minimùm dato, prorsus recesserunt, iterumque, post corpus frigori objectum, aut tempestatem humidam et gravem, morbiculumque quemlibet repentinum supervenerunt. Porro, notandum

est, omnes morbos universum corpus ferè afficientes, àque hydrargyro orientes, multo citiore progredi passu, quam quos lues excitet.

Tales autem affectus vix aut ne vix quidem inter signa syphilidis primaria, sed in iis quæ secundaria appellant, observantur: hæc quidem lente accedunt, incrementum tamen in dies accipientia perseverant ni remedia idonea præsidio invocentur, nunquam ex alia in aliam partem transmigrantia et fluitantia, quod præstat quasi lineamentum distinguens in morbis ex hydrargyro.



OSSIUM MORBUS EX HYDRARGYRO.

Adeo feliciter mihi cessit nunquam ut hancce affectionem viderem, ideoque nos

intra testimonium aliorem de hac re scribentium, contineri necesse est.

Johannes Howard, opera quam de lue conscripsit, affectionem ab irritatione hydrargyri morbosa narrat, sibi aliquantum partis ossium terrenæ in mollitie ossium absorptum est; atqui hujusmodi miracula rarissimè incidere oportet. Immo jure dubitari potest, fueritnè prior in morbum dictum dispositio; quam in opinionem maxime adducor, ex similitudinis ut dicunt argumento; quoniam hydrargyrum corporibus in scrofulam inclinatis adhibitum phthisin pulmonum sæpe inducit. Morbus *mercurialis* dolores quoque, ossium nodos, cariem excitat: ossa et cartilagines narium huic affectioni obnoxiæ videntur, cum benè meminerim me exemplum vidisse cui ozæna mercurialis inducta fuisset, post grandem hydrargyri copiam adversus longam et pertinacem hepatis inflammationem desumptam.

Hoc in exemplo nulla erit affectio venerea, quum æger eo malo nunquam laborasset.

Dolores nonnunquam vehementes sub noctem obrepunt. Morbus dolorem, inflammationem, exulcerationemque pericranii et periostei, illius præsertim partis os frontis, marginemque tibiæ anteriorem tegentis. Quum hic morbus articulos adortus fuerit, majores, quales coxa, genu sunt plerumque affecti videntur, rheumatismi quidem aspectum admodum simulant modo hic dolentior, facilius abigi possit, quam morbus ab irritatione mercuriali orsus.

Præterea fibræ muscùlorum in rheumatismo et cutis artubus majoribus obducta præcipuè affici videntur; rigore nonnullo simul comitante. Quam ob rem junctura motum ægre concipit, dum fibræ malum hoc ut de articulo alio in alium propagetur dolor, per musculorum tractus, efficit.

Omnino contrà affectio hydrargyro proveniens altiùs insedit, magisque diffusa per cartilagines ligamentaque juncturarum sese expandit, neque ad musculos pertinet. Difficile tamen admodum reperitur, hæc mala jam ex hydrargyro dicta, probè distinguere ab aliis earundem partium affectibus. Morbi historiâ, quantitate genereque hydrargyri priùs exhibiti, corporis ægroti habitu singulari; veluti si struma laboraret, quæ morbo nostro viam prosternere videretur; a spatio denique temporis duraverit lues in homine, antequam auxilium invocaret, medicum dirigi et temperari oportet.



CURANDI RATIO.

Variis morbi *mercurialis* diversitatibus propositis, proximum est, ut medicinam his corpori delendis aptam, subjungam. Tractandi modum cum partem aliquam infestet denuo retractare supervacuum esset, cum quod de hac re jam supra præcepimus, ulceribus parte quavis corporis æque responderet: magisque adhuc cum remedia generalia malum tollere solummodo valeant, si æger totius corporis affectionibus ex hydrargyro laboret.

Ante omnia ad malum debellandum illud agendum est, ut ab hydrargyro quomodocunque præparato in totum abstineatur,

sive morbus totum corpus, sive hujus partem quampiam vexâret; quippe quia nemo sperare debet, se morbum evellere posse dum causa remanere permissa sit. Si malum partem tantum occupaverit, abunde erit hydrargyrum paucis diebus abstinere; atqui cum totum corpus affectum fuerit, affectusque exacerbatus fuerit, repetito, et continuo fere hydrargyri usu adeo ingravescere potest, ut medici solertiam omnino frustraverit. Neque tamen desperandum est, modò tempus quod ægro per victum quantum potest reficiendo sufficiat, relinquatur, quodque locum medicamentis, at ex usu constat, plus allevamenti afferentibus, præbeat.

Cum gangræna intentatur, a majore nimirum irritatione specifica, quam plenitudo corporis, proclivitasque inflammatoria ex genere assueto comitentur; cumque pulsus duri, pleni, celeres, sint, sanguinis missio

ad decem vel duodecim uncias, alvi per laxantia lenis solutio, diaphoreticorum usu, *e. g.* parvuli modi tartritis antimonii, haustûs salini, pulv. ipecac. compos. optime proficere invenietur; diathesin certe inflammatoriam haud rarò supervenientem ferè summovent.

Ægro sic paucis diebus curato, indicia morbida ferè sanescere videbuntur; at si motus quos priores patiebatur aliqua ex parte sublati sint, cortex Peruvianus sive in pulvere (qui si stomacho laborantis non congruat) sive hujus decoctum sive decoctum sarsaparillæ et opii compositum adhibendum est: quippe hæc medicamenta secretiones validissimè expediunt, vires corporis sustinent, actiones vero morbosas et noxias subigunt et tollunt. Hæc remedia tamen, morbo mercuriali cum plenitudine simul corporis juncto præcipienda non sunt, donec regimine antiphlogistico, quod vocant, per dies aliquot

perseveratum fuerit, effectus enim multò debiliores esse observantur quam qui ex iis post actionem inflammatoriam pacatam exhibitis proveniant. Decocti sarsaparillæ libra vel sesquilibra in die modò ventriculus tali copiæ nihil refragetur, rectè propinatur, eique prout res postulent, vinum antimonii adjicendum est, opium nocte ad somnum conciliandum dari debet, si opus sit, interdiu quoque, intestinis ægri mali habitis, commodè sumitur. Quod si incidat catechu permistum sumi oportebit, confectio catechu in aquâ cinnamoni suspensa, subinde in die et nocte devorata concilio nostro de hac re commodissime respondebit. Diarrhœam autem supprimi oportere nequaquam auctor essem, nisi vehemens, admodum debilitatem manifestè induceret: quoniam ventris lenis resolutio sanitatem ægroti nonnihil expedit.

Quidam auctores cicutam præcipiunt,

nimirùm quam actiones morbosas in melius vertere nonnunquam contigit; eam in modis amplioribus perque tempus mediocre exhibitam ac cum commodo nonnullo: vidi. in universum tamen judico laudes eam ægrè meritam quas plenis manibus effundere medicis visum fuit.

Quum universa valetudo alicui conquassata fuerit cum macies occupavit, cum debilitas insignis sive ex intemperantia, sive hydrargyri irritatione accessit, tum sanguinis detractio regimenque refrigeratorium prorsus alienum est: rus abire, victu lacteo magna ex parti vesci, protinus corticem Peruvianum cum ferri carbonate, deinde decoctum sarsaparillæ compositum capere debet: omni tempestatis vicissitudine subita æque vitata, quod futurum puto si diebus humidioribus infra domum se contineat, si indusium laneum cuti proximum gerat.

Conatibus omnibus nihil obstantibus, sanatio morbi absoluta nonnunquam diu procrastinatur: sæpiusque notatum fuit, transitum quemvis a sicca in humidiorem, infestam tempestatem, subitum morbum reducere, aliquando nec rarò cum signis infestioribus. Hujusmodi exemplis medicamenta supra dicta in auxilium iterum revocanda sunt, constanterque usurpanda quamdiù morbus ea necessaria esse indicabit.

FINIS.